

~~F. 10165~~

390

2]





R213329

Madrid.

A. D. Jose Antonio Cavanilles.

BALTHASAR EMMANUEL

BOLDO,

BOT. REG. CAESARAUG.

IN INSULAM CUBENSEM

NUNC LEGATUS,

D. D. THOMAE VILLANOVA,

BOT. PROF. VALENT.

S. P. D.



— — — — —
H A V A N Æ :

— — — — —
In Typographia Curiae Episcopalis.



ALTHAR EMANUEL

BOLDO

BOE. REG. CARARAG.

IN INSTAM CURSSEM

NUMO LEGATIS

V. D. THOMAS KLENNON

Est equidem posterior cura ubique Sapientior.

BOHER. in Præf. Inst. Med.



Temporis momento quo sub ardenti plaga Reg. jussu *Historia naturali Insula Cubensis* totis viribus incumbo, *Decades Cl. D. D. ORTEGÆ* (a) (olim præceptoris nostri dilectissimi) anno proxime elapso Matriti edite, ad me pervenere, venerande Doctor. Cognomini tuo *VILLANOVA*, mihi ab studiorum Valentini incunabilis semper comendatissimo, nunc consecratum genus inter alia rarissima vegetabilia Hort. Bot. Matrit. occurrit, quod authoris erga te maximum prærium commendat. Et quidem quid laude dignius quam eruditissimorum Botanicorum famam opportunis hisce consecratis monumentis æternitati committere?

Planta illa nunc sub *Clase Syngenesia*, *Ordine polygamia equalis*, *Genere VILLANOVA*, et *specie bipinnatifida* publici juris facta, (b) regionis hujus in qua in præsentiarum degimus est indigena, passimque à nostro in Insulam accessu in excursionibus quotidianis occurrit. Unde jam diu à nobis visa, observata, examinata, cognita, descripta, sub *Clase Monoccia* LINN. (c) *Ordine tetrandria*, *Genere Parthenium*, et *specie Hysterophorus* ejusdem contineri, describi, et determinari visa fuit. Atque hac eadem plantæ illius classificatione ab eruditissimis amicis semel atque iterum confirmata, eam tandem sub prædictis *Clas. Or. Gen. et spec.* in nostra *Plantarum Cubensium* collectione collocavimus, nèc latum unguem à Clar. LINN. placitis in his discedere ausi.

Exemplaria ergo quatuor ex nostro Herbario deprompta, et ejusdem plantæ semina tibi libenter mittimus, ut nunc exucam, postea vero in Hort. Botanic. Valentino regeneratam pro tua
agre-

(a) *Casimirii Gomezii Ortega Descriptionum Decades. Matriti anno 1797.*

(b) *Casimirii Gomezii Ortega Decades. pag. 45.*

(c) *Linn. syst. veget. à D. Palau vernacula evulgar. tom. 7. pag. 128.*

4
ægregia observandi perspicuitate, eam examinandi compotem te reddamus. Haud nostram nos sefellise opinionem profecto invenies. Quod si aliter fieret nos amicissimè admoneas quæsumus, venerande Doctor. Nostram enim *Plantarum Cubensium historiam* fortasse quondam, si bonis placeat, in lucem edituram, ab erroribus quibuscumque expurgare humillimè et ardentissime desideramus.

Itaque plantam illam de qua in presentiarum agitur multo ànte nos inventam, cognitam, descriptam, publici juris factam, alteri Clasi, et Ordini applicatam, aliisque nominibus Generico, et specifico insignitam fuisse, ex Clarissimi LINN. placitis abunde patet. Neque alii quam plures egregii Botanici qui Insulas Occidentales huic vicinas perlustrarunt eam prætermittunt. Videantur historiae Pisonis, Sloani, Jaquini, Plumierii à quibus fortasse suam mutuavit descriptionem genericam et specificam Clarissimus LINN. cum certo certius asserere audeam numquam Sapientissimum Æquem viventem plantam præ manibus habuisse. His accedere possunt. Brovv. (d) Niss. (e) et Gou. (f) ab eodem LINN. in speciei synonymis citati.

Neque quid ideo dedecoris Cl. novi generis fautori tribuere debere autumnio. Cum enim posterior cura ubique sit sapientior, multa authoris cura, cognitio, perspicacia, praxîs, viventisque plantæ occasio detexere potuerunt quæ Æquiti Cl. latuere Unde si queras 1. An complete in LINN. sit descripta. 2. Num sit planta vere *Monoica Pentandria* 3. An ab ea *Clase et Ordine* sit amovenda, ad *Syngenesiam* amandanda, atque Ordini *polygamia necessaria* adscribenda? Pro viribus et observatis questiones absolvere tentavimus.

Ad

(d) *Jamaic.* 340.

(e) *Act.* 1711 pag. 323. tom. 13. fol. 2.

(f) *Hort.* 486.

Statuimus ergo quoad 1. descriptionem LINN. non omnibus esse numeris absolutam. Nec mirum, turpe, aut rationi dissonum id habere poterit qui meminerit nos supra probabilissimum judicasse ex aliorum scriptis, aut ex herbaris siccis digestam fuisse. Plantam Præceptor noster viventem vidit, accuratissime observavit, eleganter descripsit, LINN. tandem descriptionem longe superans, eam emmendavit, auxit.

Emendavit 1. quia corollulæ quæ hermaphroditæ à LINN. appellantur, quinquentate dicuntur et sunt quadridentatæ 2. quia antheræ in LINN. quinque numerantur et sunt tantum quatuor.

Auxit. 1. quia in descriptione LINN. nullum describitur stigma, et stigma simplex constanter existit. 2. quia semina à LINN. simplicia describuntur et sunt corniculata. 3. quia circumstantia notabilis lanulæ in pallearum limbo sistens prætermittitur, quæ omnia ut nobis autopsia in exquisita recentis plantæ anatomia exhibuit Cl. Præceptoris descriptio ad amussim dilucidat.

Ex quibus omnibus sponte fuit plantam illam quoad characteres genericos in Systemate LINN. non esse complete descriptam, nec proinde in Autoribus ex quibus notæ illæ genericæ fuere depromptæ satis inveniri exâratam.

Facile ex his infertur quid ad secundam quæstionem sit respondendum. Si enim Monoica illa tantum planta haberi debet, quæ viros, et fœminas in eodem stipite habet, ubinam hic fœminas et viros clarissimi observatores invenerunt? Extant profecto flores fœminei et flores hermafroditi in eodem individuo, in eodem pedunculo, intra eundem calycem, sed nullibi flores tantum masculi apparent. Planta ergo de qua in præsentiarum agitur potius Polygama quam Monoica dici deberet.

Vereor Clariss. LINN. cum flores hermafroditos credidisset abortientes, id defectui stigmatis tribuisse, atque hac de re florem hermafroditum lato sensu loco masculi accepisse, ideoque ad

Mo-

6
Monoeciam plantam amandasse. Meam quidem sententiam confirmat nomen illud *hermafroditicus* quod ut supra notavimus flosculis disci applicat, et florem incompletum significat.

Sed cum defectus seminis non destruat essentiam floris (a) nunquam flos simpliciter masculus corollula disci appellari posset licet haud seminare videatur, proindeque neque ad Classem Monoeciam pertinere. Praeterea, gratis concessio quod esset planta Monoica, aberrat ab ordine, nam pentandriæ adscribitur, (b) et ad tetrandriam redigi debet cum tantum quatuor habet stamina totidemque antheras.

Tandem si inter quinque flosculos ligulatos radii aliquis inveniretur masculus (quod abest) ut Synopsis Charact. Gen. LINN. Hispanicæ á D. Palau evulgat. (c) indicat, majori adhuc jure planta tunc Polygama, nullatenus autem Monoica haberi deberet, cum ex flosculis masculis, foemineis, et hermaphroditis, vel si mavis hermaphroditicis esset composita. Verum luce meridiana clarius atente observanti patet, flores disci hermaphroditos, effetos, radii autem foemineos, foecundosque constanter in nostra planta inveniri.

Quis erit nunc sane mentis homo, mediocriter saltem in rebus Botanicis versatus qui momento temporis quid ad tertiam quæstionem sit respondendum dubitet? Planta ergo ad Classem *Syngenesiam* pertinet. Ordo ejus est *polygamia necessaria*, nam corollulis discoideis hermafroditis abortientibus, corollulae quinque foemineæ ligulatae radii, necessariae deveniunt ad plantæ seminationem et propagationem.

Cum-

- (a) *Nomina generica ad Botanici benemeriti memoriam conservandam constructa. sancitæ conservo. Linn. Philos. Bot. afor. 143 de nominib. generic.*
(b) *Idem pag. 8.*
(c) *pag. 128.*

Cum autem nullo ex hucusque existentibus in nuper laudatis *class.* et *ordin.* generibus characteres plantæ de qua agimus integrè conveniant, et notas differentiales novas ab omnibus distinctas habeat, jure optimo novo nomine generico insigniri debet.

VILLANOVA, ergo, nomen ipsi ab eruditissimo Præceptore impositum sanctè servetur (d) et è genere *Parthenium* in posterum esse desinat. Vegetabile istud difficillimæ indagationis, et exquisitæ anatomie objectum, sit tibi merito *VILLANOVA sacrum*, qui labore assiduo constantissimo, et exquisito, difficillimos artis Medicæ, Physicæ experimentalis, Chemiæ, et totius Philosophiæ nodos detexisti. Ex plantæ hujus ab amico consecratæ monumentum tuas agnoscat supremas virtutes futura ætas. Vale.

Dabam Havanæ pridie Kalendas Majas anni MLC.C.XCVIII.

Clarissime Vir.

Tuus obsequentissimus cultor

BALTHASAR EMMANUEL BOLDO.

(d) *Essentia floris in anthera, et stigmatè consistit. Linn Phil. Botanic. afor. 14 de fructificatione.*

Et Autor. 

Com autem nullo ex istis experimentis in superius
demonstratis et aliis, quibusdam experimentis de qua agimus
ante, concluditur, non esse ab omnibus fibris
hinc, hoc quomodo novo nomine sive designari debet.
Videtur, ergo, non esse certissimum, quod
impositum sicuti scilicet (b) et cetera, Partibus in potentia
esse debent. Vegetatione ista, dicitur, in agnitione, et experientia
anatomica, in ubi merito, et cetera, qui labore
sensus, concluditur, et experientia, in ista, et cetera,
Physice experimentalis, et cetera, et cetera, philosophis, non
esse, si, ex parte, hinc, ad alios, et cetera, et cetera, et cetera,
egressos, superius, videtur, et cetera, et cetera, et cetera,
Dabatur, hinc, videtur, et cetera, et cetera, et cetera, et cetera,
an. M. D. C. C. X. VIII.

CHRISTOPH. LEIBNIZII
BALTHASAR MANUEL BOLDI

(b) hinc, hinc, in agnitione, et experientia, in ista, et cetera,
Physice experimentalis, et cetera, et cetera, et cetera, et cetera,

13





St

[